

In Nomine Jesu!

DISSERTATIO PHILOLOGICA

אמרה דאיהו

FIDEM JOBI

Ex Cap. XIX: 25, 26, 27.

Considerans,

Quam

*Ex decreto Celeberrimi Consistorii Acad. Aboens. adprobante
Ampliss. Facult. Phil.*

Publico honorum examini sistis

Mag. MATTHIAS HALLENIUS

Facult. Theol. Adjunctus & Pastor in Lundā /

RESPONDENTE

GABRIELE TÄLPO,

Aboensi,

Ad diem, Deo volente, XXVII Julii, Anni MDCCXLI

In Auditorio Maximo, horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, excud. Joh. Kæmpe, Reg. Ac. Typogr.

Sacrae Regiae Majestatis
Regniqve Svethiae
Summae Fidei VIRO ac Senatori,
ILLUSTRISSIMO BARONI ac DOMINO,

D^N. OLAVO CEDER-
STRÖM,

Academiae Aboensis CANCELLARIO Celsissimo,
Excellentissimo,

MAECENATI SUMMO,

Illustris Baro; Generoso sanguine crete,
Pieridum Praeles, Grande Jubar patriae,
His illustre Tuum fas sit praefigere Nomen,
Quo splendente, nitent haec mea scripta simul.
Hoc fidei verbum, quod promulgamus in orbem,
Proposuit Iobus, vulnera vasta ferens.
Mutua discordes faciunt hunc praelia Docti:
Ergo scrutari talia mente juvat.
Excellent Heros, ut Titan oscula libat
Nunc terrae gelide, quam fovet & resisit:
Sicque Tui nobis jam fulgeat aura savoris,
Voluas & placidis Vilia scripta genis.
Quot flores, aetas, quot gemmas parturit arbor,
Tot vigeas messes, ut precor & voveo.

CELSISSIMI NOMINIS TUI

Servus Devotissimus,
Matthias Hallenius.



J. N. J.

§. I.

Patientissimi Jobi amici iniquiores, ipsi, ceu homini impio, denegarunt spem beatæ resurrectionis, Job. XVIII; 5, 13, 14. juxta ejus temporis inter judæos receptam erroneam opinionem, qua statuebant pios tantum resuscitatum iri. Job autem hoc crimen diluens, *fidei sue confessionem* edit, atque ostendit, quam immerito ab amicis suis inter impios referatur, cum fundamentum fidei de promisso Messia, mortem devicturo, suaque per illum resurrectione, firmum illæsumque retineat. Hæc Jobi confessio etiam vastæ eruditionis virorum ingenia ita torlit, ut ipsi, ancipiti læpe cogitatione distracti, rem plenam dissensionis inter eruditos, adhuc reliquisse videantur. Et licet hæc sententia varie exponi possit, sensus tamen *Spiritus Sancti* non est nisi unicus; idcirco nos totum hoc oraculum, quod publici specjminis loco, examinandum sumimus, pro temporis Ingeniæque modulo, breviter perlustrabimus, verbaque graviora sigillatim expendemus, adiectis eruditorum versionibus,

atque

Handwritten notes or signatures at the bottom of the page.

atque aliis aliisque sententiis: postemum, quæ no-
stra hac de re sit mens, paucis indicantes, quo Can-
dido Lectori suppetat facultas omnia probandi, &
quod bonum est tenendi. Ipsum autem oraculum
ex fonte hebræo ita audit;

ואנו ידעתו גאלי חי וזחרון על עפר יקום והאר
עורי נקפו זאת ומבשרו אחזה אלוה אשר אני
אחזה ל ועיני ראו ולא זר כלו כליתי בחקי

*Et ego novi redemptorem meum vivum, & novissimo super
pulverem staturum, & postquam pellem meam contrive-
rint hanc: & de carne mea videbo Deum, quem ego visa-
rus sum mihi, & oculi mei viderunt, & non alienus. De-
fecerunt renes mei in sinu meo.* Hec ita exponit Targum

ואנא ידעית דפריקי קיום ומן בתר כרון פוקנות
על עפרא יקום ומן בתר דאחפח משכו חחירא ומבשרי
אחמו תוב אלהא ה אנא אחמי לו ועיני יחמח ורנא
זילוני ש ימי כליתי בעובי

*Et ego scio quia redemptor meus vivit, & post hæc redem-
tio ejus consurget super pulverem. Et postquam inflata fue-
rit pellicia mea, erit hoc: & de carne mea videbo iterum
Deum, quem ego visurus sum mihi, & oculi mei videbunt
& non alius: consumpti sunt renes mei in sinu meo.* Syrus

אנו ידעתי גאלי חי וזחרון על עפר יקום והאר

עורי נקפו זאת ומבשרו אחזה אלוה אשר אני

אחזה ל ועיני ראו ולא זר כלו כליתי בחקי

ואנו ידעתי גאלי חי וזחרון על עפר יקום והאר

Ego quidem scio quod Salvator meus vivens sit, & in consummatione super terram appariturus. Et pellem meam angustarunt haec, & carnem meam. Si viderint oculi mei Deum, videbunt lumen, Renes mei penitus perierunt de loco meo.

LXX. interpretes; ὁ δὲ αἰετός ἐστιν ὁ ἐκλύει με μέδων, ἐπὶ γῆς ἀναστῆναι τὸ δέσμα καὶ τὸ ἀταυτλεῖν ταῦτα. ὅσα γὰρ κερὰ ταῦτα μοι συνετέλεσθη, ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίστωμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμὸς μου ἐώρακε, καὶ ἂν ἄλλο, πάντα δὲ μοι συνετέλεσται ἐν κόλπῳ. Scio enim quia eternus est, qui me resoluturus est super terram, ad resuscitandam cutem meam, quae perperitur haec. A Domino enim haec mihi consummata sunt, quorum ego mihi conscius sum, quae oculus meus vidit, & non alius; & omnia mihi consummata sunt in sinu. Vulgatus; Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspexuri sunt, & non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo. Sic etiam Hieronymus & And. Oliander. Pagninus autem & Vatabulus; Ego quoque novi redemptorem meum esse viventem, & novissimum (qui) super terram surget, ac post pellem meam contriverunt istud, & ex carne mea videbo Deum, quem ego visurus sum mihi, & oculi mei conspexuri sunt, & non alienus; defecerunt renes mei in sinu meo. Tremellius & Junius; e quidem ego novi redemptorem meum vivere; & posteriorem super pulverem resurrecturum; & postquam (vermes) confoderint istud, evigilante me; tum carne mea me visurum esse Deum, idem qui sum, ac non alienus, visurus sum mihi, & oculi mei aspexuri: ta-

4
 men consumuntur renes mei in sinu meo. Schimidius: Et-
 iam ego novi Redemptorem meum, (quod) vivat; & postre-
 mum, (quod) super pulverem surget. & post cutem meam
 (h. e. posteaquam cutis mea esse desierit) circumda-
 buntur hac (caro in ea & ossa mea eadem cute mea:)
 & ex carne mea videbo Deum. Quem ego videbo mihi, &
 oculi mei videbunt & non alius. Consumti sunt renes mei
 in sinu meo. Nonnemo: Nam ego novi vindicem meum
 vivum, quod postremus super pulverem stare velit. Quam-
 vis post cutem meam conterent hoc, tamen ex carne mea
 videbo Deum, quem ego videbo mihi, quia oculi mei vide-
 bunt, & non peregrini (scil. oculi), perfecta sunt facul-
 tates anime mea in me ipso. Lutherus: Aber ich weiß/
 Das mein Erlöser lebet/ und er wird nach hernach
 aus der Erden aufferwecken/ und werde darnach mit
 dieser meiner haut umgeben werden/ und werde in
 meinem fleisch Gott sehen. Den selben werde ich mit
 sehen/ und meine augen werden ihn schauen/ und kein
 fremder. Meine Nieren sind verzehret in meinem
 Schoß. Hanc interpretationem heic fere leguntur
 Batavus, Svecus & Fenno. Gallus autem A.
 1622. Quant à moi, ie sai que mon redempteur est vivans,
 & qu'il demeurera le dernier sur la terre. & encores, qu'
 apres ma peau on ait rongé ceci, ie verrai Dieu de ma
 chair: Lequel je verrai pour moi, & mes yeux le verront,
 & non autre: mes reins sont defaillis en mon sein. An-
 glus: For I know that my redeemer liveth, and
 that he shall stand at the latter day upon the earth:
 and though alter my skin, Worms destroy this body,
 yet in my flesh shall I see God: whom I shall see
 for-

for my self, and mine eyes shall behold, and not another; *though* my reins be consumed within me.

§. II.

IAm itaque indagandum, quid sibi velint verba: **יָנִי וְיָנִי**? Primum vocabulum **יָנִי** ex mente illorum, qui vertunt *etiam ego, equidem ego*, &c per **ו** copulativum, procul dubio, indicant Jobum fidem suam cum aliorum fidelium notitia & fide, de beata resurrectione & vitæ æternæ consecutione, conjungere, & demonstrare esse communem; & specialem suam fiduciam per **יָנִי** & affixum **י** in **יָנִי** exprimere. Aliis vero, qui **יָנִי** exponunt: *ego*, neglecto **ו**, particula illa nihil aliud videtur facere, quam sermonem inchoare, quod officium etiam habet in librorum initiis, e. g. Jos. I, 1. Jud. I, 1. 1. Sam. I, 1. & tunc sæpe potest vel omitti, vel reddi per Græcorum **ἤν**, nonnunquam per latinorum, *nimirum, scilicet*, quod etiam heic locum habet; *nimirum* (hæc verba) *ego novi* &c.

Verbum **יָדַע**, *scivit, novit, cognovit, &c.* heic indigitat certa & indubitata fidei notitia aliquid scire, ut Jer. IX. 24. **כִּי אֵין בּוֹאֵת יִתְהַלֵּל הַמְּתַהַלֵּל הַשָּׂכֵל** sed de hoc gloriatur, qui gloriatur, *intelligere & nosse me, quod ego (sum) Jehova.*

C. XXXI, 24. **כֹּל־יָדַע אֵת** *cognoscite Jehovam; omnes enim cognoscent me.* Hol. II, 20, aliis 22 **וְדַעַת אֵת יְהוָה וְדַעַת אֵת יְהוָה** & *desponsabo te mihi in fide & cognosces Jehovam.*

Per **יָנִי** talis intelligitur redimens, redemptor, vindex, qui jure propinquitatis aliquid redimit, dato pretio

pretio æquivalente, Lev. XXV. 25. Ruth. III. 12.
 & IV. 4, 6, 14. Atque sic Messie tribuitur, qui ho-
 mo nobis consubstantialis factus, jure consanguini-
 tatis, ex ineffabili miseria & potestate satanæ, in-
 terposito sanguinis sui pretio, homines in exopta-
 tissimum statum adleruit. Hol. XIII. 14. מִן שֵׁמוֹ
 בְּיָמָיו מִמֵּתוֹת וְיָדָיו מִן הַמָּוֶת e manu (h. e. potestate) in-
 ferni redimam eos, & morte liberabo eos. Plal. XIX, 15.
 אֲנִי יְהוָה צוּרִי וְיִשְׁעִי O Jehova, Petra mea & Redemptor mi.
 Superest vocabulum חַי, quod generatim significat vivū
 vel vivens; speciatim & proprie designat subjectum,
 quod vitam habet, vel etiam aliis confert, inde
 hoc epitheton κατ' ἐξουσίαν competit Deo, qui vitam
 habet a se ipso, & est scaturigo omnis vitæ, & heic
 loci tribuitur Christo, qui per vitam suam nos vi-
 vificat, & vitam nostram operatur. Joh. VI. 57. 63.
 ita ut sensus heic sit: etiam ego scio Redemptorem me-
 um in cælis vivere; immo eum aliquando etiam in
 carne victurum, inque illa de morte per resurrectio-
 nem, æternum triumphaturum jam video.

§. III.

ORdine iam excipit primi commatis hemistichium
 posterius, quod sic audit: דְּאֲחֵרִיתוֹ עַל עֵפֶר יָקוּם
 Hoc, præter supra allegatos interpretes, Theologi
 & Philologi varie vertunt. Friedlibius: & novissi-
 mo die super terram consistet. Mercerus: Postremus in
 terra perstabit, & sic porro.

Nobis autem primum offert se examinanda vox
 אֲחֵרִיתוֹ, quæ est nomen adjectivum, & significat, po-
 sterior

posteriorem, postremum. Sic **El XLIV, 6.** אָנִי רִאשׁוֹן *ego (sum) primus & ego nobissimus.* **Gen. XXXIII, 2.** וְאֵת לֵאמֹר וּלְרֵיבָה אֲחֵרֹנִים וְאֵת יוֹסֵף אֲחֵרֹנִים *& Leam liberosque ejus posteriores, Rachelem autem & Josephum postremos,* scil. collocavit. Hinc videmus suis non destitui rationibus, qui אֲחֵרֹן exponant per, *posteriorem,* quum Christus humani generis Restaurator & Redemptor posterior sit Adamo, humani generis corruptore, qui a Paulo, eodem respectu, *primus & secundus* homo appellantur, **1. Cor. XV, 47.** *Postremus* autem hic dici potest Christus, non solum, quod in postremis diebus sit compariturus; sed etiam, quod hostibus victis & prostratis, in pulvere seu arena postremus staturus sit, more victorum; methaphora petita ab athleticis sive luctantibus, sive pugnantibus. vid. **CHRIST. STOCK. Clav. Ling. S. V T. ad h. v.** Hinc & nonnulli vocem אֲחֵרֹן connectant cum præced. הוּא h. m. scio Redemptorem meum esse vivum & postremum vel posteriorem hominem, qui in postremos mundi dies promissus est, quod super pulverem resurget. Quod etiam urgere videatur accentuatio hebræa, in qua אֲחֵרֹן habeat Rebhia, quare cum sequentibus iungi nequeat. Ceteri אֲחֵרֹן accipiunt pro אֲחֵרֹן בְּאֲחֵרֹן subintellecto כ, atque ideo explicant, in novissimo scil. die, vel rectius, in novissimo mundi tempore. Vocatur enim tempus Messiaë in S. S. אֲחֵרֹת יָמַי, *posteritas dierum,* **Esai. II, 2. Jer. XXIII. 20. C. XXX, 24 C XLVIII. 47. C. XLIX, 39. Mich. IV, 1.** Reliqui hoc nomen exponunt adverbialiter, *dein.*

deinceps, vel quia nomina apud hebræos quandoque adverbialcunt, vel quia positum pro *חזר*, post.

§. IV.

Verbum *קום*, unde *קום*, pro quo Vulgatus, Hieronymus (*) And. Osiander & Matth. Ha-fenrefferus legunt *קום*, in kal notat *surgere, resurgere, stare consistere*. Et quia *נחה על עפר*, *quiescere super pulverem*, Job. XVII, 16. *שכב על עפר*, *cubare super pulverem*, C. XX, 11. C. XXI, 26. *שוב על עפר*, *redire super pulverem* C. XXXIV, 15. & sic alibi in Psalmis *descendere ad pulverem*, est *mori*, ergo, cum *surgere & stare* sint contraria *ut jacere* & c. phrasis nostra notabit non *mori*, sed *mortem superare*, vid. AUG. Pfeiff. Dub. vex. ad b. l. Alii *קום* sumunt heic transitive, quasi esset *קום* 3. sing. fut. Hi phil; atque ita pro *קום על עפר יקום* legunt per ellipsin affixi futuri *יקום* vel *מעפר יקומני*, provocantes ad Amos. VII; 2 3. ubi verba sic jacent: *מה נא סבה נא* Quod Targum Jonathanis hunc in modum interpretatur, *שבוק כענ לתובי שנהא דעקב מן יקום זיבעי על חטאחון נארי מטלמליונ אביו* Ignosce obsecro peccatis reliquiarum Jacob: quis consurget & veniam exorabit pro peccatis eorum? quia disshalati sunt. LXX vero interpretes, & cum illis plurimi alii, active hoc exponunt: *קום*

(*) Sunt qui dicant vulgatam versionem esse Hieronymi, sed Erasmus, teste Serario, omnes qui incolumi pollent iudicio negare ait hanc esse Hieron. editionem, & caput esse permax, quisquis aliter statuit. vid. lura hac de re in Critico Sacro Bill Abr. Calovi. p. 284.

γυνὴ τίς ἀναστήσει πρὸς τὰς πόδας; ἐπὶ ἐλιγοςός ἐστι. *propitius e-*
sto, quis suscitabit Jacob? quoniam parvus est. Sic e-
 tiam Syrus & Arabs. Sed sunt, qui respondeant in l.
 c. personam vel subjectum addi, videl. *Jacob, quis su-*
suscitabit Jacob? hoc vero loco nullum subjectum poni,
 adeoque nullum sensum esse; *super pulverem excitabit,*
 cum non addatur in textu, quem exci-
 taturus sit. Nec desunt, qui contendant in Amolo
 subaudiri δ vel ϵ & η exponendum: *quomodo vel cujus*
auxilio surget Jacob? alias enim si exponas: *quis eriget*
Jacob? nam parvus est, sensus esset incongruus, nam
 cum parvus est, tanto facilius erigitur. Potius: *qua*
ratione, vel cujus ope surget? nam imbecillus est. A-
 gnovis aliquid de hoc Tremellius, qui ita transtulit:
quis staret Jahacobo? nam parvus est. & Seb. Schmidius; qua-
lis (enim) stabit Jacob? cum parvus ille (sit).

§. V.

Succedit sententia illorum, qui quidem statuunt \square ρ
 vertendum esse per, *stabit*, sed ita, ut retineatur
 significatio providentiæ, studii, diligentia & curæ
 (ut Deut. XXV, 6. 2. Sam. XII, 17. 2. Chron. XXI,
 4. & Esai. XXXII. 8.) quam Christus resuscitatus
 geret pulveris, h. e. corporis nostri, ne minimum
 ejus pereat. Psalm, XXXIV, 21. ita ut sensus sit,
 prout JOH. FRANCKIUS in *Alylo piorum*, hunc locum
 vertit: *Und er wird zulezt für den staub sorgen.* In
 hemistichio autem priori per מִלְּנָא resurrectionem
 Christi, qui non in pulvere, sed in petra reconditus
 fuit, jam significatam esse, cum utrumque hemisti-

B

chium

10
 chium idem plane indicare non præsumatur, Spiritu
 S. hanc ταυτολογίαν, omni modo, vitante. vid. G CHR.
 DICHS. Bibl. Acc. in b. l. Ceteris hanc phrasin: *stare
 super pulverem*, interpretari placet per *venire ad ulti-
 mum iudicium*, ex cap. XXXI, 14, verbis: וְיָבֹא
 $\text{לְיָמֵינוּ} \text{וְיָבֹא} \text{לְיָמֵינוּ}$ & *quid faciam, quando Deus sur-
 get*, scil. ad iudicandum; iudicare enim punire, vindi-
 care, in Scriptura S. nunc per *transire*, Exod. XII, 23.
 nunc per וַיִּשְׁרָץ *surgere*, Hiob. XXXI, 14. Zeph. III, 8.
 nunc per *sedere*. Psalm. XXIX, 10, nunc per *stare* Zach.
 XIV, 12, exprimi. Quare *surgere* vel *stare super pulve-
 rem*, de adventu ultimo ad iudicium accipiatur. Re-
 liqui, per varias significationes particulæ בְּ hanc
 phrasin explicantes, *super pulverem stare* dicunt Chri-
 stum; tum quia resurgendo a morte, vincit, nosque
 sibi vindicat; tum quia stat super pulverem & corrup-
 tionem corporum nostrorum, ceu hostem ad pedes
 prostratum, 1. Cor. XV, 26, 27, contra pulverem
 stat, cont. Elaj. XXXI, 2, quia nos & carnem no-
 stram, jure pulveris & mortis abolito, repetit, sibiq;
 asserit; & stat erga pulverem, cum vires suas erga
 corpora in pulverem redacta exerit, illa excitando.
Vid. Matth. Pelus, alii.

§. VI.

S Uadet ordo tractationis, ut ad enucleanda peniti-
 Sora verborū $\text{וְיָבֹא} \text{לְיָמֵינוּ}$ nos accingamus.
 Quod particula וְיָבֹא cum *Nominibus*, *Pronominibusque*
 constructa, notet, *post*; sed juncta verbis exprimat *ad-
 verbia temporis, postquam, postea*, inter eruditos conve-

nit. Sed vocem עור GERHARDUS in *l. de Res. WALTERUS* in *Harm. Bibl. in h. l.* & TREMELLIUS deducunt a radice עור *evigilare, expergisci, excitari*, ita ut pro ord. media rad. *van*, heic posita sit *cholem* cum suffixo primæ personæ: Alii vero a radice ערה *mudavit se*, unde nomen עור *pellis*. quidam עור, a radice ערה, accipiunt pro עורי *plaga vel portio plage cutis mee*, uti Psalm XI, 6. *רוח זלעפות מכה כוסם* & *ventus procellarum (erit) portio calicis eorum*. & cum זנת subaudiant *Substantivum apud Talm. usitatum* רדיפה *persecutio*, vid. BLIXT. *L. Talm. R. p. 2216*.

Verbum נקפו multi magni nominis Interpretes derivant a rad. נקף alias in Hiphil tantum usitata, quæ *circumeundi, in orbem redeundi, circumdandi* notionem habet, ut sit 3 plur. Præteriti in Niphal, & prima rad. *jod*, quæ ob anomaliam communiter & ordinarie in præter. & part. hujus conj. mutaretur in *cholem*, heic abjecta compensetur per *dagesch*, atque ex mente quorundam, per *enallagen*, præteritum ponatur pro futuro, pluralis pro singulari, & 3 persona pro prima; nec putant referre, quod radix hæc in Niphal non occurrat in Bibliis. Alias Lexicographis & aliis נקפו est 3 plur. præteriti Piel a rad. נקף *excidit, concidit, amputavit, perfodit*, atque subintelligitur cognatæ significationis Nomen *corrosives, mors, vermes*.

Pronomen זנת est singulare tantum, sed a multis accipitur pro plurali, quia per *Idiotismum Lingvæ* Nomina & Pronomina singularia quandoque

sumuntur distributive, ut Job. I, 14. *הבקר היו מרשית*
bos (i. e. omnes & singuli boves) fuerunt arantes.
 Prov. XXVIII, 1. *ובין רדף רשע* fugiunt, ubi non
 (est) persequens impius, i. e. omnes ad unum. & in
 h. c. v. 19. *וזה אהבתי כחשכו כי* quem dilexi, verso sunt
 in me, h. e. quos dilexi.

§. VII.

EX hac diversa vocum origine, derivatione, &
 phrasium acceptione, variæ natæ sunt versiones
 & expositiones. Sunt enim, qui hoc hemistichium
 vertant, *Et post excitari meum, vel, postquam ex mortu-*
is excitatus fuero, excindetur hoc, h. e. hæc omnia, quæ
 oculis in mundo intuemur. Item: *post cutem meam,*
 h. e. post putrefactionem cutis meæ, excidentur. *ab-*
sumentur, conterentur hæc, h. e. omnia visibilia. Item:
Verum illi (socii mei) non advertant cor ad redemptorem
meum, sed post plagam cutis mee percipiunt, affligunt, per-
fodiunt vexatione & persecutione hæc. Alii: *postquam circum-*
dederint (Pater, Filius & Sp. S. hoc (scil. corpus meum))
pelle mea. item: postquam pelle mea circumdata sunt hæc. i-
tem: & post cutem meam circumdabuntur hæc. h. e. post
 curem meam in pulverem redactam hæc mea ossa
 circumdabuntur. item: & *denno pelle mea cingar hæc.*
 ceteri: *Et postquam pellem meam corroseverint (pura vermes),*
hoc (scil. corpus vel hæc cutis) resurget. Circa hanc
 & superiores versiones hoc obiter notandū existima-
 verim. quod *וזה אהבתי עורו* cum *זה* contra
 accentus coniungant, atque male divellant ver-
 bum *קפפו* a sequenti *זה*, cum quo tamen arctissi-
 me per makkaph copulatum est. Ergo rem propius
 acci-

attigisse videntur, qui hunc versum ita vertant: *Et cum post cutem meam, confoderint hoc, tum e carne mea videbo Deum, h. e. cum post cutem meam, etiam hoc (caro videl. & emaciatum hoc corpusculum, quod digito monstrabat Job) confossum & corrosum fueris, tum e morte excitabor, & vitæ restitutus ac glorificatus Deum meum videbo.* vid. *SAL. GLASS. Philol. S. L. III. T. III. p. 817. AUG. PEEIFF. Thesaur Herm. p. 363.*

§. VIII.

VERBA מַה אֵלֶיךָ יְהוָה מִכִּשְׁרֵי לִבִּי non tam obscura sunt, quam ab interpretibus obscurantur. Nam R. Salomo putat מַה אֵלֶיךָ h. l. notare iudicium, & quidem castigationis, ut sensus sit: *& ex carne mea videbo iudicia. i. e. ex afflictione carnis tanta, ex corpore meo ita constituto, ut nunc est, quo nihil horribilius, sentio Dei iudicium, iram ac supplicia. vel: video plagam Dei, deprehendo Deum esse, qui me affligit, ne putetis me hoc ignorare. Vel, ut aliis placet: ex afflictione carnis meae tanta, cerno & contemplanor Deum, i. e. Dei providentiã & summã in me beneficentiã agnosco, qui cum ita me graviter afflixerit, servet adhuc, non sine miraculo, & summo ejus beneficio viventem etiam in tantis cruciatibus.* Sed nemo forte erit, qui has & ejusmodi alias expositiones non videat esse frigidas, nam ex antecedentibus constat Jobum iudicium, providentiã & beneficentiã Dei in se agnovisse. Expresse enim dicit supra v. 6 דַּע אֵפוֹ כִּי מַלְאִיךָ עָרַתְנִי וַיִּצְרֶנּוּ לִי עֲלֵי הַקֶּרֶךְ *Cognoscite quæso, quod Deus subverterit me, & rete suum circa me circumdederit & c. x, 12 חַיִּים וְחַסְדֵּיךָ וְשִׁמְרֵתְךָ וְשִׁמְרֵתְךָ רַחֵם* *vitam & benignitatem fecisti meum: & visitatio tua custodivit spiritum meum.*

Nec Officit, quod heic existet וּמִכֶּשֶׁרִי, cum præfixo מְ, pro quo plurimi legunt וּמִכֶּשֶׁרִי in carne mea; Sed quare non verba Jobi heic loci significabunt hoc, quod valent significare? Egregie utiq; SEB. SCHMIDIUS in h. l. p. 813. מִכֶּשֶׁרִי ex carne mea, retinemus libenter, tanquam emphaticum: quippe quo significatur, unde tendere debeat visus ejus, scil. ex carne ejus, ad quam oculi ejus pertinent, q. d. ex carne mea exhibunt radii oculorum meorum cum carne restitutorum, quibus visurus sum Deum. Urget phrasis restitutionem ejusdem carnis & oculorum, etiam si ille maxime partes computruerint (*). Per מְלוֹחַ non possumus melius intelligere, quam Messiam. Hanc namque desiderabat Jobus videre in resurrectione, quem non visurus erat in hac vita, sed & communiter omnes interpretes, vix uno & altero excepto, eundem putant Deum & Redemptorem. At Redemptor Christus est.

§ IX.

(*) His & sequentibus Jobi verbis manifestissime demonstratur identitas corporum morientium & resurgentium. Num vero corpora nostra e seminibus parentum, seu anime ex animabus, vel panes & pisces in manibus Christi, Joh. VI, 11, ita per benedictionem primariam multiplicentur & crescant, ut nihil, nisi tantum nutrimentum, quod rursus per exhalationes abeat, essentialibus corporum ex elementis accedat: Vel num Elementa rerum, pro nutrimento accepta, cum seminibus seu embryonibus, ut vulgo creditur, per eandem benedictionem, continuo coalescant, & licet in alia atque alia corpora transeant, essentialiam tamen nostram carnis, æternum duraturam, constituant, problema est altioris indaginis, quam heic discuti possit.

§. IX.

JAm devolvimur ad considerata verba : אֲשֶׁר אֶחֱזֶה לִּי וְעֵינַי רְאוּ וְלֹא יָרָו כְּלוּמַר כִּחְקִי
quem ego videbo mibi, & oculi mei videbunt, & non alius,
Consumti sunt renes mei in sinu meo. Pronomen אֲשֶׁר per
 mahpach copulatum cum אֲנִי, & אֲנִי rursus, per
 subdistinctivum kadma cum Psik, a sequentibus se-
 paratum subtiliter observatur a TREMELLIO, & verti-
 tur per, *idem qui sum; h. e. ego ipse;* si enim אֲנִי cum
 אֶחֱזֶה intimiorem haberet nexum, quam cum אֲשֶׁר,
 ita ut אֲשֶׁר non respiceret Jobum ipsum, sed אֶלֶה
 in versu præced. tum אֲשֶׁר haberet accentum distin-
 ctivum & אֲנִי conjunctivum. Alii autem, qui אֲשֶׁר
 asserunt respicere אֶלֶה & exponunt relative per,
quem, vel hoc non attendant, vel, per hanc pro-
 nominum coherentiã per accentus, statuunt em-
 phatice objectum & subjectum, h. e. Jobum cum
 Deo, conjungi & quasi in unum spiritum conglu-
 tinari, ejus unionis fructum & utilitatem etiam ex-
 primere videtur per voces cum Makkaph copulatas
 אֶחֱזֶה לִּי אֶחֱזֶה *videbo mibi,* in maxima scilicet meum com-
 modum, gaudium & gloriam perpetuam. Quod,
 præter Rabbinos, etiam quidam alii אֶחֱזֶה heic, ut
 in versu præced. methaphorice de visione mentali
 interpretentur, eos, ceu a clara litera sine omni caus-
 sa discedentes, non prolixa refutatione dignos cen-
 sent eruditi. Sed illos mirantur, qui quum prio-
 ra de resurrectione & visione beatifica accepe-
 rint, אֶחֱזֶה לִּי *oculi mei videbunt,* per visionem
 spiritualem seu mentalem explicent. Nec alia vide-

tur esse causa, quam tempus præteritum; וְנִי וִידֵ-
 runt si ad verbum reddatur. Quum autem *conversum*
 Præteriti, hujus significationem mutet in significationem Fu-
 turi, præcedente futuro, vid MATTH. W. ASM. Hebr. rest.
 p. 56; 87. & præteritum וְנִי heic per copulam conne-
 ctatur cum præcedente futuro וִידֵבוּ, ergo &
 illud heic jam conversum esse patet. Explicavit enim
 Jobus beatificam illam visionem, primo generalius
 quoad *subjectum quod*, deinde specialius quoad *subje-*
ctum quo, vel *medium videndi*, וְעַיְנַי וְעַיְנַי oculis meis, ne pu-
 tetur a proprietate vocis discedere & visionem tro-
 picam intelligere. Vel, si mavis, repetit Jobus, ex
 magnitudine affectus, gaudii & spei, idem quod di-
 xerat, ut tamen, ad clarius exprimendam mentem
 suam, amplius quid addat; וְעַיְנַי וְעַיְנַי oculis
 mei videbunt, & non alius.

A verbo וְנִי *comprimere, abalienare se, aut abalienari,*
aliene se gerere, ortū est nomen וְנִי *alius, alienus extrane-*
us, cujus usus esse deprehenditur notare, se-
 cundum substratam materiam, diversum ab alio
 quacunque ratione. Certum itaque est, quod verba
 וְנִי aliquid a Jobo removeant, sed quid remo-
 veant, non facile est dicere. Existimant quidam Jo-
 bum heic per וְנִי excludere *hypocritas & alienos a*
fide in Christum Eph. II, 12. Nonnulli *alienum & no-*
bum Corpus; ita ut Jobus non neget alios quoque in
 mortuorum resurrectione visuros esse Christum, sed
 sibi non aliud, verum idem numero corpus restitu-
 tum iri. Ceteri accipiunt hæc verba de *fide Jobi spe-*
ciali, ac si diceret: non credo generaliter tantum

quemlibet alium fidelem, sed & me ipsum visurum esse Christum & tunc וְלֹאֵלֹהִים vertendum esset: & non tantum alius. Si autem וְ respiceret totum Jobum remote sibi contradistinctum, & referretur ad pronomen אֲנִי, tum Dominum Athnachum, vel pro illo Mercham Mahpacati præcederet in וְ accentus subdistinctivus major, in וְ subdistinctiv⁹ minor, & in אֲנִי, ut etiam est, minimus. Verum quum אֲנִי habeat jam ducem Rebhia, & וְעַבְדִּי pro subdistinctivo minore, nim. Tiphca anteriore, admittat vicarium ministrum Munach, cum prævio servo itidem Munach, *conf. WASM. Inst. Meth. Accent. Hebr. Reg. XI. m. II p 180. 181.* Ergo וְלֹאֵלֹהִים non videtur posse referri ad אֲנִי, Sed respiciat, necesse est, וְעַבְדִּי (seu *subjectum* וְעַבְדִּי, a te non, nisi per ministrum Munach tantum, remotum. Hinc talis fuit sensus: *oculi mei, non alieni oculi, vel alterius corporis oculi, vel potius: non alius quidam oculus mihi pro alterutro horum, vel, probis, quibus nunc gaudeo, dandus, sed hi ipsi, numero iidem, videbunt Goëlem.*

§. X.

Restat, ut verbum כָּל etiam paucis expendamus. Est hoc 3. plur. præt. in Kal, a rad. כָּלָה, quod generatim & proprie videtur *finiendi* significationem habere, sive id fiat rei perfectione, absolute & impletione, sive ejusdem consumptione, deletione & extirpatione. Impropius autem & Methonymicus ejus sensus esse deprehenditur: *perare, anxie ex-*

pectare, quia animus præ nimia expectatione deficiit
 & consumi videtur. Hinc etiam, juxta *BLIXT. Con-*
cord. Bibl. Hebr. & ejusdem Lexicon Talm. Rabb. p. 1037.
 descendit Nomen plur. ריבנא *renes*, qui in Script.
 S. intimos animi affectus significant, nam ardor &
 defatigatio istos comitantes hominem consumunt. Quia
 hæc verba cum consequentibus conjungunt, illi con-
 sumtionem renum dicunt hic significare indigna-
 tionem. Ita ut sensus sit: Quum itaque mea mihi
 conscientia testimonium perhibeat de fide in Messiam,
 jure vobis succenteo, adeo, ut præ indignatione re-
 nes mei consumti sint in me, super persecutione,
 quæ me persequimini, dicentes quomodo perseque-
 mur eum? cum tamen fundamentum fidei in me in-
 veniatur saluum. Præsertim, quia conjunctio ו
quod, quia, in versu seq. jungere videtur sequentem
 versum cum his verbis. Alii vero hoc hemistichium
 cum præcedentibus connectant, explicantes hæc
 verba per, *desiderando consumuntur renes mei. Vel confi-*
dunt renes mei in sinu meo, & sic porro. Quasi dice-
ret: etiam si omnia interiora consumantur, tamen
hac spe resurrectionis me sustento, & scio me De-
um visurum. ו autem in versu seq. exponunt per,
quare, cur, quare vel cur dicetis? persequemur eum,
 nam radix verborum, h. e. fundamentum rei, vel
 fidei, inventum est in me. Hanc, vel aliam
 quancunque huic affinem sententiam plurimi vel i-
 deo videntur probare, quia illa, quæ uni Pasuko
 includantur, sese, non vero extranea, respiciunt,
 nisi

nisi necessitas urgeat; quæ hic nulla apparet, Vid.
DACHS. in b. l.

§. XI.

Evolutis ita vocum difficilimarum significationibus, atque aliquot sententiarum divoritiis, requirit jam ordinis ratio, ut etiam, quæ nostra qualiscumque de hoc Oraculo sit mens, paucis indicemus. Verum ne in varia nos præcipites demus incommoda, aut temere aliquid statuamus, sequentes *Canones*, qui huc potissimum facere videntur, præmittere iuvabit: I. Sensus litteræ non est deserendus, præsertim quoad substantialia, ubi fidei articulus, ceu in propria sede tractatur. II. Sensus cuiusque loci litteralis non nisi unicus est. III. Sensus litteralis non est inferendus, sed afferendus. IV. Proprio & famoso vocum significatui, quoad fieri potest, inhaerendum, neque iste nisi fuga absurdi & inepti sensus, deserendus est. V. Omnis interpretatio scripturæ sacræ cum analogia Grammatica congruere debet. VI. Formale radicis non debet esse precarium, sed niti usu scripturæ S. & consensu linguarum cognatarum. VII. Enallage temporum & modorum non est admittenda, nisi constructio vel oratio eam evincat. VIII. Ehipsæ præter necessitatem non sunt fingenda. IX. Activa tertiæ personæ sine nominativo expresso impersonaliter capiuntur. X. Accentuum officium tantum semper & ubique pensari est habendum. XI. Ad scopum orationis ubique sollicito respiciendum. XII. Parallela Scripturæ S. loca inter se sunt conferenda.

§. XII.
His præmissis, salva aliter sentientium auctoritate, statuere jam fas sit hanc fuisse sententiam Jobi, quod crediderit Redemptorem suum in cælis viventem, imo in temporis plenitudine etiam in carne victurum, atque a mortuis resurrecturum. Et quia resurrectio nostra dependet a resurrectione Christi, 1. Cor. XV. idcirco argumentatur: Licet futurum sit, ut cutis mea, & post eam etiam hoc (puta caro vel emaciatum corpus, quod digito monstrabat Job) confossum & corrosum fuerit, nim. a morbo, putredine & vermibus; tamen ex hac eadem carne, & his ipsis meis oculis, vi resurrectionis Christi mihi restitutus, visurus sum Goëlem meum, in maximum meum solatium & gaudium nunquam finendum. Quare *ἠποθυμιὰν ἔχα ἐν τῷ ἀναλῦσαι, καὶ οὐν χερσὶν εἶναι*, cupio ex mortali & ærumnoso hoc corpore solvi & esse cum Christo, ita ut præ vehementi desiderio videndi eum fere deficiam. Phil I, 27. conf. Rom, VII, 24. Hunc sensum fundunt voces juxta grammaticam verborum & phrasium expositionem. In hac explicatione nulla est precaria radix, nulla enallage, nullæ denique, præter necessitatem, finguntur ellipses; sed ex ipsis verbis simplicissime effertur, & per loca parallela atque officium accentuum probatur sensus literalis, a scopo Jobi non alienus. Quippe qui nullam spem amissorum bonorum & recuperandæ sanitatis habens, mortem meditabatur, ut ad oculum patet ex C. X, 20, 21. XVI,

22. XIX, 10, & XXX, 23. ergo omni nisu Goëlem suum anhelabat, quem mortem victurum, a mortuis resurrecturum, & vi suæ resurrectionis, se & omnes fideles ad vitam æternam resuscitaturum certo certius sciebat.

Dubia illa, quæ huic sententiæ opponuntur, non jam vacat examinare.

SOLI DEO GLORIA !

